

scilicet, ut in Libonē ex seruis, saluo senatusconsulto quæreretur. Ob quæ posterum diem reus petiuit. Domumque digressus, extremas preces P. Quirino propinquo suo ad principem mandauit. <sup>a</sup> responsum est, ut senatum rogaret. Cingebatur interim milite domus; strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis, quas in nouissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatas, vocare percussorem, præhensare feruorum dextras, inserere gladium. Atque illis, dum trepidant, dum refugium, euertentibus adpositum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris <sup>b</sup> duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum conlabentis, adcurrere liberti: & cæde visa miles abstiit. <sup>c</sup> Accusatio tamen apud patres adseueratione eadem <sup>d</sup> peracta. <sup>e</sup> iurauitque Tyberius <sup>f</sup> petiturum se vitam, quamuis nocenti, nisi <sup>g</sup> voluntariam mortem properauisset. <sup>h</sup> Bona inter accusatores diuiduntur: & prætura extra ordinem datæ his qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messalinus ne <sup>i</sup> imago Libonis exequias posteriorum comitaretur celsit: Gn. Lentulus ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret. <sup>k</sup> supplicationum dies Pomponij Flacci sententia constituti: ut dona Ioui, Marti, Concordiæ, utque Iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur. L.P. & Gallus Asinius, & Papius Mutilius, & L. Apronius decreuere, quorum autorita-

<sup>a</sup> Id quod per  
ca cœdit Ca.  
Pisoni, mor-  
tuo.

## OBSERVATIONES.

- a Cùm quis maiestatis postulator ad principis clementiam confugit, hunc princeps reiicere debet ad senatum, ne aut indulgentia sua sibi noceat, aut seuitia, homines offendat, atque abalienet.
- b Animus sibi male cõsciens nihil magis odit, quam lucem hanc: idque adeo ut, si neminem ipsi nocentem animam eripere uelle uideat, eo furoris ab desperatione perducatur, ut, sibi ipse manus afferat.
- c In reum maiestatis, etsi fato functus est, accusatio nihilominus peragitur, ac si uiueret; nempe ad damnandam eius memoriam.
- d Cùm licet principi impune, hoc est, sine ullo suo facto, & damno ostentare suam clementiam, id nunquam omitat. idem obseruauit Nero, ut est lib. 15. Annal. Et cum damnatio, inquit, instaret, brachiorum Venas Torquatus interfecit; secutaque Neronis oratio ex more; Quamuis fontem, & defensionis merito diffusum, uicturum tamen fuisse, si clementiam iudicis expectasset. Certe nouum imperium inchoantibus, ut ait Tacit. lib. 4. hist. uilis est clementiæ fama.
- e Nouus princeps quamuis penes unum se uita, & necis omnium potestas sit, tamen uerba sua semper steterere debet ad modestiam, tanquam si sua senatus autoritas maneat: certe Tiberius non se Liboni uitam daturum, sed petiturum dixit. Sic de Apuleia, adulterij, inquit, grauiorem pœnam deprecatus, &c. Simile est illud quod de Tiberio narrat Sueton. Alium, inquit, dicentem sacras eius occupationes, & rursus alium auctore eo senatum se adisse, uerba mutare, & pro auctore suasorem, pro sacris laboriosis dicere coegerit.
- f Astuti principes sua seuitia multos manus sibi afferre cogunt, metu supplicij instantis; quam postea ipsi uoluntariam mortem appellant; ac si non rei tam dira ipsi causam dederint.
- g Haud laudato exemplo fit, ut bona rei mortui inter accusatores diuidatur. Sed hoc suspitosi principes agunt; ut hac illecebra ad recentes accusationes illud hominum genus promptius reddatur.
- h In odium illius, qui maiestatis damnatus est, tum nomen, tum imago ipsius post mortem ignominia notatur.
- i Quo die Respub. liberata est insigni aliquo periculo supplicationes decerni, isque dies festus celebrari debet.